

LIBER II. DECRETALIUM.

Præfens Liber, cum in ordinando Processu Ecclesiastico totus occupetur, vix ulla in potiori suorum Titulorum parte admittit commentationes historicas. Quapropter primum de Judiciis solum illustrabimus, quo, in varios §§. secto,

ea omnia corrademus, quæ in Libro I. de Judiciis ordinariis, & delegatis, de ipsis Judiciis, de Foro competenti, de Appellationibus Libro præfenti ex monumentis Ecclesiasticis annotatione digna sunt.

TITULUS I. ET UNICUS.

De Judiciis.

§. I.

De Judiciis.

1. **CUM** Christus Ecclesiam suam noluerit esse Societatem in omnibus membris æqualem, in ea Jurisdictionem esse voluit.

Hanc propositionem Lib. 1. Tit. 33. dissertatione singulari contra Blondellum, & recentiores quosdam Protestantæ propugnauimus, dum Episcopos jure divino potestate Ordinis, & Jurisdictionis Presbyteris majores, adeoque in Ecclesia esse hierarchiam asseruimus, & merito: est enim maximè sane momenti, cum ex ea fere pendeat, quidquid de Jurisdictione Iudicum Ecclesiasticorum in toto Corpore Juris Canonici tractari solet; cum, si horum recentiorum Protestantium teneret opinio, tota Cleri inferioris, Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, ipsiusque Romani Pontificis jurisdictione non esset nisi mera contra Leges Ecclesiæ pragmaticas, ab ipso Christo sancitas, usurpatio.

2. Christus hanc jurisdictionem politice in uno eodemque Magistratu iunctam

noluit; sed distinctum Magistratum Ecclesiasticum instituit.

Hæc propositio ex claris novi Testamenti textibus, atque ex ipsa nascentis Ecclesiæ praxi demonstratur. Si enim supponamus jurisdictionem Ecclesiasticam à Christo in Ecclesia sua fuisse institutam (N. 1. & seqq. h. T.), eam Petro nulla jurisdictione politica prædito contulit Joan. 21. v. 15. 16. 17. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Matth. 18. v. 18. 19. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam — & tibi dabo claves regni caelorum, quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in caelis.* Similiter etiam Apostoli sive immediate, sive mediante eodem Petro (quod hic discutere non est necesse) jurisdictionem spirituales fuisse impartitam infra ex N. 4. & seqq. h. T. in apico erit. Ubi etiam Ecclesiæ nascentis praxis propositioni allate conformis adducetur. Christus vero Magistratus Politici Fori sui potestatem saram rectam voluisse, constat tum ex eo loco Lucae 20. *Dare Cæsari, que sunt Cæsaris;* tum ex Apostolo epistolæ

Lib. II. Titulus I. & unicus. De Judiciis.

rolæ ad Romanos capite 13. ubi eos hortatur, ut Superioribus obtemperent inferiores, etiam propter conscientiam, quamquam Civilem tantum gerant Magistratum.

3. Hanc Magistratus Ecclesiastici jurisdictionem Christus voluit esse Hierarchicam, seu in gradibus inæqualium dignitatum, ordinem inter se habentibus, consistentem.

Hæc propositio definita est in Concilio Trident. Sess. 23. Can. 6. *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, que constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit;* atque Lib. 2. Tit. 33. singulari dissertatione adserta, in qua Episcoporum Ordine, Jurisdictione supra inferiorem Clerum ex Christi institutione eminentiam contra Blondellum vindicauimus.

4. Ex hac ergo Christi institutione Ecclesia Apostolorum sæculo, dum Gentili Potestati quantum ad temporalia subesset, suos habuit in negotiis ecclesiasticis Iudices; non tantum actus mere ministeriales ex deputatione totius Corporis exercentes; sed vera jurisdictione à Christo præditos.

Propositionem in apicum quoque ponit mox laudata dissertatio.

5. Inter Iudices Episcopos ab ipsis Ecclesiæ incunabulis subordinatio fuit.

Omnibus eminere Romanum Pontificem, & quidem ex positiva Christi institutione, apud Catholicos in comperto est; omnes enim ipsum Caput visibile Ecclesiæ, Christique in terris Vicarium unanimitate voce consententur, atque contra Heterodoxos pro aris & focis defendunt. In hoc Galli ab aliis discrepant Ecclesiis, quod hæc illum velint Concilio Generali, seu toti Ecclesiæ simul sumptæ majorem, illi vero minorem. Episcopos quoque Alexandrinos, & Antiochenos Marci & Evodii, Petri discipulorum, successores ampliori præ aliis Episcopis, ac Metropolitibus sæculi IV. initio jam præditos potestate pro-

dit Can. 6. Concilii Nicæni; & quidem ex antiqua consuetudine (Lib. 1. Tit. 6. N. 96.). Metropolitanum in Episcopos jurisdictionem antiquam supponit Synodus Illiberitana in Occidente A. 305. celebrata, dum Can. 58. statuit, ut formate, seu communicatorie acciperentur, maxime in eo loco, in quo prima Cathedra constituta est Episcopatus. In Oriente vero, præter Concilium Nicænum relato Can. 6. etiam Antiochenum A. 341. Can. 33. ait: *Episcopus uniuscujusque Gentis nosse oportet eum, qui in Metropoli præest, Episcopum.* Hunc autem ordinem hierarchicum inde natum esse, quod Apostoli, Apostolicæ Viri, Verbi Divini Prædicatores, à celeberrimis Romani Imperii Urbibus, & à Provinciæ cuiusque Capite Evangelii disseminandi initium fecissent, uti Actus Apostolorum, eorumque Epistolæ aperte testantur, à quibus cetera à fontibus in Urbibus minoribus enatae sunt, fundatæque Ecclesiæ, Episcopatusque, qui Metropolitanos suos, earumque Præsules jure suspicerent; verosimilius est, quam Meteorodorum commenta, hanc Hierarchici Ordinis compaginem ambitionis, fastuque humano in acceptis referentium: de quibus videatur supra citata dissertatio.

6. Enumerati Episcopi subinde dicti sunt Iudices ordinarii, ad distinctionem Iudicum delegatorum.

Id contigisse videtur in Jure Canonico ad exemplum Romanorum, apud quos jam pridem Iudices ordinarii dicti videntur ad distinctionem illorum, qui dabantur à Principe extra ordinem, quorumque potestas, ac jurisdictione ipsi dignitati annexa fuit; hoc enim modo in Jure Canonico Episcopi ordinarii, seu nati appellantur, quod jurisdictionem suam cum ipsa Episcopali respectiue Dignitate consequuntur, non ex aliqua delegatione, vel commissione. Titulus igitur est junior, res ipsa in Ecclesia grandæva.

7. Prioribus V. Ecclesiæ sæculis Iudicibus delegatis jam opus fuit.

Occasionem hujusmodi delegationum dederunt cum multitudine Fidelium crescentia simul Ecclesiastica negotia, humeros Episcoporum excedentia. Similes Judices olim fuisse Archidiaconos, & Archipresbyteros tradidimus Lib. I. Tit. 23. & 24. aliisque, de quibus Titulo 25. 26. & 27. Archidiaconis subinde in officio, ac jurisdictione successisse Vicarios Generales, & Officiales Tit. 28. Romanos item Pontifices, qua Patriarchas Occidentis spectatissimos habuisse Thessalonicae, Arelati, aliique Provinciae Judices delegatos, Primate appellatos, dictum est Titulo 6. & 8.

8. Quamvis Historia Ecclesiastica à primis Saeculis usque ad media plura recenset exempla, quibus conficitur, Romanos Pontifices Legatos, seu Judices delegatos ad varia negotia in partibus, sive conciliariter, sive extra Concilia, terminanda misisse, ut videri potest Lib. I. Tit. 30. Judices tamen delegati, quorum officia Libro eodem, Titulo de Rescriptis, atque de Officio, ac Potestate Judicis delegati describuntur, Saeculi XII. fine, vel Saeculi XIII. initio in Forum Ecclesiasticum interire videntur, postquam Forum hoc ad instar Fori Saecularis regi cepit.

Hanc conjecturam firmat Espenius P. 3. Juris Eccl. univ. Tit. 5. cap. 2. N. 3. ex eo, quod sub neutro Titulo mox laudato Decretalium Gregorii IX. ulla reperiatur Decretalis, quae habeat Authorem antiquiorem Alexandro III. qui sub saeculi XII. finem Pontificatum gessit: quo etiam saeculo ipsa Tribunalia Ecclesiastica ad instar Saecularium regi ceperunt, ut infra videbimus.

9. Judices hi delegati sub idem tempus frequentissimi à Romanis Pontificibus dari sunt.

Id fieri necesse fuit, quod tum causae plurimae tam per appellationes (quae tum invalescebant) quam per exemptiones Capitulum, & Monasteriorum, quae sub idem tempus progressam habuerunt, aliis-

que pluribus titulis ad Romanos Pontifices devolverentur, quibus examinandis, & discutendis, aut institendis Pontifex non sufficiebat: imo nec Romae, ob distantiam locorum, è quibus probationes peti debebant, facile institui poterant: necesse igitur fuit causas plurimas aliis delegare.

10. Judices hi delegati ad normam Legum Civilium de Judiciis delegatis instituti sunt.

Ex Responsis, & Decretalibus Pontificum in Corpus Juris Canonici relatis apparet, voluisse Pontifices, ut eorum Judices delegati gauderent prerogativis, quas de Jure Civili Judices delegati à Principe habent. Unde exemplo Legis 5. Cod. de Judiciis, in quo Judex delegatus à Judice ordinario lubdelegandi non habet potestatem, bene vero delegatus à Principe, Pontifices quoque declarantur suis Delegatis jus esse dandi Judices, tametsi id deaegetur Judicibus delegatis à Ordinariis, seu Episcopis, Cap. 7. de off. & potest. Judicis delegati: quin, cum juxta Leges Civiles solum permittatur Judici à Principe delegato Judicem dare, qui simplicem notionem causae, non autem jurisdictionem habebat; Innocentius III. declaravit, Judices à se delegatos posse omnimodam, & plenam jurisdictionem alteri committere, seu subdelegare, Cap. 27. eod. Ex qua Innocentii Decretali, aliisque subsequenter Pontificum conformibus responsis receptum est, Delegatum Pontificis jurisdictionem vel in totum, vel in parte posse delegare; atque hac in parte potiorum esse delegatis Ordinariorum, imo quasi Ordinarium reputari.

11. Cum jure Decretalium nullae speciales qualitates expressae sint circa Personas Judicum delegandorum à Sede Apostolica, sed quilibet, etiam simplices Clerici, eo jure delegari possent; Bonifacius VIII. qui sedit An. 1294. cap. Statutum, de Rescriptis in 6. statuit: *Ut nullis, nisi dignitate praeditis, aut Personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium*

num Canonici Cause auctoritate Sedis Apostolicae, vel Legatorum ejus de cetero committantur.

Motivam hujus Institutionis fuit depresso Sede Apostolicae, & Ordinariorum despectus, quibus hi Legati, ex promiscuo Clero assumpti, superiores esse praetendebant.

12. Concilium Tridentinum circa Judices à Sede Apostolica delegatos reformationem fecit, unde ortum habent Judices Synodales.

Considerans enim, quoniam ob malitiosam potentium suggestionem, & quandoque ob longinquitatem, personarum notitia, quibus causae mandantur, usque adeo haberi non potest, hincque interdum Judicibus non undequaquam idoneis causae in partibus delegentur; statuit Sess. 25. de Reform. cap. 10. in singulis Conciliis Provincialibus, aut Dioecesanis aliquot Personas, quae qualitates habeant juxta Constitutionem Bonifacii VIII. quae incipit Statutum, & alioquin ad id aptas designari, ut, praeter Ordinarios locorum, iis etiam posthac Cause Ecclesiasticae, spirituales, & ad Forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituatur Ordinarius loci, cum consilio Capituli, alium in ejus locum, usque ad futuram Provinciam, aut Dioecesanam Synodum; ita ut habeat quaeque Dioecesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas Personas, ac ut supra qualificatas, quibus hujusmodi Cause à quolibet Legato, vel Nuntio, atque etiam à Sede Apostolica committantur; alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittant, delegations quaecumque aliorum Judicum aliis, quam his factae, subreptitiae censentur.

13. Cum hodie raro Synodi celebrentur, passim usu invaluit, ut Ordinarii de consilio Capituli Judices Synodales deleg-

nent, quibus, & non aliis Cause in partibus delegandae committantur.

Propositio constat ex praxi, quae id, quod Concilium Tridentinum in casu mortis similis Judicis Synodalis statuit (N. praeced. h. T.), in usum generalem fere deduxit.

14. In eodem Concilio Tridentino Episcopi in Clerum exemptum, tum Saecularem, tum Regularem variam jurisdictionem postliminio nacti sunt, non quidem ut Judices Ordinarii, sed tanquam Sedis Apostolicae Delegati.

Economia prudens circa jura Ordinariorum in Dioecesanis omnibus, ab ipsis Ecclesiae incunabilis Sedibus Pastoralibus connata, simulque merita Cleri praeminati in ipsam Matrem Ecclesiam exceptione majora, hanc moderationem praefiniverunt. Equidem Episcoporum pars maxima exemptionem praefati Cleri penitus abolere postulabat à Tridentina Synodo. Insignia Capitula, Monasteria, aliaque pia loca, & populosi Religiosorum hominum ordines, quorum opera Concilio utilis fuerat, privilegia sua intacta manere rogabant. Favebant Episcopi plerique ex illis Ordibus assumpti. Pontifex ad eorum abrogationem haud certe propendebat, plurima hujusmodi privilegia ad preces Regum vel Principum, vel ad Fundatorum petitionem concessa non ignorans, nec rescindere volens, quod à suis Decessoribus, quandoque, publice utilitatis respectu, vel Observantiae Regularis promovendae studio, vel ob quorundam Ordinum, ac Monasteriorum in Romanam, ac universalem Ecclesiam merita, vel devotionis erga Sedem Apostolicam fovendae causa, matura deliberatione concessum existimabat. Quamobrem id temperamenti initium est, quo jurisdictionem, perinde ac si ordinaria foret, Episcopi obtinerent in homines ab illorum Foro per Pontificia Privilegia subductos, simul etiam iis, qui per Privilegia eximebantur, titulus ac veritas exemptionis intacta persisteret, concessa

cessa cunctis Episcopis facultate generali, ac perpetua in certis quibusdam causis jurisdictionis exercenda, tanquam speciatim *de Sede Apostolica delegatis*. Hæc Nat. Alex. Hist. Eccl. Sæcul. 15. & 16. Dissert. 12. N. 41. dicta confirmans ex Sess. 5. cap. 1. de Reform.

§. II.

De Litibus, & Causis Civilibus Laicorum.

15. **Q**uamquam Lis, & Causa in rigore distinguantur, cum *Causa* sit jus actu deductum in Judicium, *Lis* vero ipsa actio, qua res controversa deducitur in Judicium; eas tamen hic confundemus, & nomine *Causarum* utemur, cum earundem distinctio nil conferat ad historicas notiones. Causæ autem vel sunt spirituales, vel temporales, hæque concernunt vel Personas Ecclesiasticas, vel Laicas, suntque vel majores, vel minores: de omnibus agetur in hoc §.

16. Lites cum nascente Ecclesia inter Christianos jam enatæ sunt.

Has Corinthiis simul cum experiundi œconomia severe exprobrat Gentium Apostolus in 1. ad eos ep. cap. 6. v. 7. *Jam quidem omnino delictum est in vobis, iniquiens, quod Judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis?* & v. 1. *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, id est, Ethnicos, & non apud Sanctos, id est, Christianos?*

17. Lites in nascente Ecclesia duplicis generis produntur; aliæ erant de objectis temporalibus, de spiritualibus alteræ.

Primi generis exemplum suppeditant jurgia Corinthiorum mox relata: secundi vero Acta Apostolorum cap. 15. ubi legitur homines de hæresi Phariseorum credentes, præterdisse, conversos ex Gentilitate oportere circumcidi, & servare Legem Moysi.

18. A primis Ecclesiæ exordiis Causæ mi-

nores tam spirituales, quam temporales, Personarum tum Ecclesiasticarum, tum Laicarum ad Episcopos deferbantur dirimende.

Quod Episcopi singulares in Civitatibus fuerint tempore Apostolorum, Clero inferiori Ordine, & Jurisdictione superiorum, demonstratum est contra Blondellum aliosque Protestantem Lib. 1. Tit. 33. Ex qua Dissertatione etiam legitime inferunt, eodem Sæculo Clerum à Laicis fuisse distinctum contra eosdem, præsertim recentiores Systematicos, Ecclesiam Christi ex Docentibus, & Audientibus constantes. Cum igitur Apostolus 1. ad Corinth. c. 6. v. 1. prohibeat, Christianos apud Ethnicos judicio experiri, velitque Causas illorum per aliquem *Sapientem ex fratribus pacifice componi*; dubitandum non est, quin obvia tum Cleri, tum Laicorum jurgia non fuerint ordinarie ad Episcopos, tanquam ad animarum Pastores, delata, ad amulsum Evangelicam complananda. Unde scribit Apostolus ad Titum cap. 1. v. 5. *Hujus autem rei gratia reliqui te Creta, ut ea, quæ defuncti, corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi*: nimirum, ut & ipsi, quæ defuncti, corrigant. Et cap. 5. v. 19. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus*. Presbyteri igitur accusabantur apud Episcopos, majori tamen solemnitate, quam Laici. Junge concordantias in laudata dissertatione adductas.

19. Mos deferendi Causas temporales civiles Christianorum, Laicorum, à Christianis Principibus Sæculo IV. & sequentibus confirmatus fuit.

De Constantino M. primo Christiano Imperatore, scribit Sozomenus lib. 1. Hist. c. 9. *Litigantibus permisit, ut ad Episcoporum Judicium revocarent, si Magistratus Civiles rejicere vellet: eorum autem sententia rata esset, aliorumque Judicium sententiis prævaleret, perinde ac si ab Imperatore ipso data fuisset, utque res ab Episcopo judicatas Rectores Pro-*

vineta

vinciæ eorumque Officialia executioni mandarent. Exstat & Arcadii Imperatoris Constitutio in lib. 1. Cod. de Epif. aud. Lege 7. qua id ipsum litigantibus permittitur. Si qui, ait, *ex consensu apud Sacra Legis Antisitem litigare voluerint, non vetabuntur, sed experientur illius, in civili dumtaxat negotio, more arbitri sponte residentis iudicium*. Et Lege 8. idem Imperator Sæculi IV. sine ita firmat Episcopale iudicium, seu arbitramentum, ut Laici ab eo provocare non possint.

20. Causæ civiles Laicorum non tantum ex compromisso utriusque Partis, uti visum est N. precedenti, sed etiam parte altera invita ad Episcopos deferri sub his Principibus probabiliter poterat.

Id eruitur ex Extravag. I. de Epif. Judicio, quæ habetur in appendice Codicis Theodosiani, & à quibusdam Constantino M. ab aliis vero, nimirum à Capitularibus Galliæ, & Innocentio III. c. 13. de Judiciis, Theodosio ascribitur, in qua sancitur: *Quicumque itaque litem habens, sive possessor, sive petitor, inter iniurias, vel decursis temporum curriculum, sive dum negotium peroratur, sive cum jam ceperit promi sententia, iudicium elegerit Sacrosanctæ Legis Antisitem, illico sine aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur; multa enim, que in iudicio captiose præscriptionis vincula promi non patiuntur, investigat, & promi Sacrosanctæ Religionis autoritas. Quamvis Gothofredus alique Viri Eruditi hanc Extrav. censent supposititiam vel ex hoc ipso, quod Causas civiles Laicorum ad Episcopum, altera etiam Parte refragante, deduci velint; cum tamen posteriores Constantino, & Theodosio M. Imperatores id solum fieri velint in casu Compromissi, uti vidimus N. precedenti, & confirmari potest ex Nov. 12. Valentini III.*

21. Præcendendo ab hac modalitate, Episcopi Sæculo V. Causas civiles Fidelium

Laicorum passim decidebant: qui mos perduravit quoque Sæculo VI. & VII.

Quantum ad Sæculum V. exempla luculentissima suppeditant Sanctissimi illius ætatis Episcopi Ambrosius, & Augustinus. De Ambrosio testatur S. Augustinus Lib. 6. Confess. c. 3. *Secludentibus me ab ejus aure atque ore catervis negotiorum hominum, quorum infirmitatibus servebat. De se ipso vero libro de opere Monachorum cap. 29. ubi ait: Dominum Jesum testem invoco in animam meam, quoniam, quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis Monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, — quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis secularibus, vel iudicando dirimendis, vel interveniendo præcedendis: quibus nos molestius idem affixit Apostolus, non utique suo, sed ejus, qui in eo loquebatur, arbitrio Lege Possidium in ejus vita cap. 19. & eisdem Sanctissimi Patris ep. 81. & 147. item Concionem 24. in Psalm. 118. & Serm. 49. de diversis. Ambrosii, & Augustini vestigiis eodem Sæculo inhæserunt Sidonius, Synesius, alique Præfules religiosissimi.*

Quantum ad Sæculum VI. & VII. Episcopus de omnia Monachorum, & Sacerdotalium Causis cum quocumque conditis iudicare voluit Justinianus Imperator, earum cognitione Judicibus Civilibus interdicta Nov. 79. c. 1. & 2. Et, si cui litigantium in Foro sæculari suspectus Juxta esset, Episcopum adiri, qui Causam cum eodem Judice amicabiliter dirimat, idem sanxit Nov. 86. juxta quam, si quis jus suum à Judice violatum quæreret, Episcopum interpellare poterat. Idem confirmavit Leges Arcadii supra N. 21. relatas. Et alia varia adiecit, de quibus videatur Titulus 4. Cod. de Epif. audientia.

22. Sæculo VIII. & sequentibus usque ad XIII. hæc Episcoporum in Causis Civiles Laicorum Jurisdictio non tan-

tum

tum perduravit, sed etiam magnopere aucta fuit.

Quantum ad Sæculum VIII. Concilium Vernense Can. V. unicuique Episcoporum potestatem dat in sua Parochia, tam de Clero, quam de Sæcularibus ad corrigendum, & emendandum secundum ordinem canonicum; & Can. 14. eos, qui diei Dominicæ sanctitatem operibus venitis violaverint, ab Episcopis plecti decernit. Et Canon 6. Concilii Francofordiensis Comitibus quoque Germaniæ ad Judicium Episcoporum venire præcipit. Sæculo IX. id, quod N. 20. à Constantino, vel Theodosio Magnis sancitum probabiliter asseruimus, nimirum, quod sæcularium lites ad Episcopale Forum deferri poterant, altera etiam Parte invita, demum confirmatum, & in praxim missum est à Carolo M. & Ludovico Pio ejus Filio, ut constat ex lib. 6. Capitularium c. 336. ubi statuntur sequentia: *Volumus, atque præcipimus, ut omnes ditioni nostræ, Deo auxiliante, subiecti, tam Romani, quam Franci, Alemanni, Bajuvarii, Saxones, Turingii, Frisones, Galli, Burgundiones, Brittones, Longobardi, Wascones, Beneventani, Gothi, & Hispani, ceterique nobis subiecti omnes, licet quocumque videantur legis vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam, quam ex 16. Theodosii Imperatoris libro, capitulo videlicet 11. ad interrogata Ablavii Ducis, illi, & omnibus rescriptam sumpsimus, & inter nosra Capitula pro lege tenenda, consulti omnium Fidelium nostrorum, tam Clericorum, quam & Laicorum posuimus, legem cunctis perpetua tenenda, id est, quicumque litem, &c. ut supra N. 20. Quod vero spectat Causas Canonicas, vitiorem emendationem, poenitentiam inflectionem, promotionem divini cultus, executionem disciplinæ, omnes Episcopis parere jussit Carolus M. gravissima poena in rebelles statuta, etiam proprios filios. Qua de re lege lib. 7. Capitular. cap. 390. Quin eo-*

dem Sæculo Episcopi Inspectores, & Censores Sæcularium Judicium à Regibus sunt constituti, eodem lib. cap. 293. Causas Civiles Sæcularium, in quibus intercurreret peccati periculum, juramentum, fides, vel testamentum, usque ad Sæculum XIII. in Gallis præsertim, ad Episcopale pertinuisse Judicium, eruitur tum ex ep. Joannis Carnotensis, qui Sæculo XII. floruit, tum ex responso Ludovici Galliarum Regis A. 1225. in Concilio Melodunensi Episcopis dato: quorum primus ep. 101. ad Adelam Comitissam, *Omnes, inquit, Pseudo-Prædicatores; & Pseudo-Monachi, & Pseudo-Clerici, fornicatores, & alii, qui in Christianismo offendunt (exceptis his, qui poena capitali puniendi sunt) à nobis distringendi, & corrigendi sunt, & ipsi, & eorum res nostri sunt juris. Et hæc est antiqua, & inconcussa consuetudo non tantum Carnotensis Ecclesie, sed omnium Ecclesiarum per totum Regnum Galliarum.* Posterior vero Episcopis petentibus, ut Causæ omnium hominum super mobilibus Ecclesiastico Tribunali deferrentur, respondit, eas Causas ad Forum Ecclesiasticum tantum pertinere, in quibus intercurreret vel juramentum, vel fides, vel testamentum, aut Maritimum, seu Matrimonium, uti refertur in Chronico Turonensi tomo 11. Concilio Labbæi col. 290. Ex quibus patet, quod licet super postulatis Episcoporum nihil fuerit conclusum, ipsaque Causa ab utraque Parte posita sit in suspensio; nihilominus ex ipso Regis responso habeatur primo, quod Causa, etiam super mobilibus ratione juramenti interpositi, tunc temporis spectaret ad Forum Ecclesiasticum: quo titulo omnes pene quaestiones super Contractibus, etiam Civilibus, ad Judicem Ecclesiasticum devolvebantur, uti notat Mornacius ad L. 8. Cod. de Epif. aud. quia nunquam fere omittit Tabelliones ad-jicere prælitum à Contrahentibus Sacramentum de servandis, quæ pepigissent, ac idem. Ulterius ex responso Regis patet,

Cau.

Causas Testamentarias ad Forum Ecclesiasticum pertinuisse: quibus si jungantur Causæ, in quibus ratio peccati versabatur, inde emittitur per longas atates unum pene ac solum in universa Gallia Forum Ecclesiasticum, evulsiq; quæsiq; emarcuit Jurisdic-tio Regia, inquit idem Mornacius lib. cit. Merito tamen id sane speciatim de Gallia monuit; nam ut conitat ex disputatione super puncto Jurisdic-tionis A. 1327. habita inter Nobiles, Regioque Ministros, & Prælatos Regni Galliarum, coram Philippo Valesio Rege, in Regno Galliarum magis, quam in ullo alio, Jurisdic-tio Ecclesiastica ad omnes pene Laicorum Causas se extendebat: uti ex articulis à Petro de Cugneris Consiliario Regio, nomine Nobilium, & Baronum contra Prælatos propolitis, & Bertrandi Episcopi Eduensis ad illos responsis colligitur. Jure nihilominus Decretalium, quæ Sæculi XIII. initio compilati sunt, vastam declaratur viguisse Clericorum Jurisdic-tionem in Laicos, & in eorum Personas, ac res. Cum enim de prædio litigarent Comes Altiisiodorensis, & Abbas, Papa Cogitor fuit. De adulteriis judicant Episcopi. Vetatur ne Clerici emant lites, vel jura controverfa Laicorum, quo ea ab Ecclesiæ Judice dirimi curent. Si de fundo agitur, qui certissime juris sit Ecclesiæ, vel Clerici ejuspiam, ad Forum Clerici pertrahitur Laicus. Si feudi Dominus Clerico jus dicere malitiose abuit, vel procrastinat, Judex Ecclesiæ cognoscat. Laici Clericis contumeliosi ad Judicem Ecclesiasticum rapiuntur, ut sacrilegi. Potest Laicus Laicum in Causa Civili convenire apud Judicem Ecclesiæ, si Judex Civilis officio non fungitur: aut ubi illud præcis moris fuit, & necdum exolevit; uti habetur Lib. 1. Tit. 29. cap. 32. Tit. 31. c. 1. Tit. 42. c. 2. lib. 2. Tit. 2. cap. 5. 10. Qua ultima Juris dispo-sitione, quæ habetur Lib. 2. Tit. 2. c. 10. c. 10. facti innotuit, tempore Innocentii III. seu Sæculi XII. fine, & XIII. initio leges Theodosii, Constantini, Arcadii, à Carolo

Tom. I.

M. confirmatas, ut Laici in Causis Civilibus vel ex compromisso, vel una saltem parte volente simpliciter possent ad Tribunal Ecclesiasticum trahi, in multis locis jam exolevisse, atque ad casum denegationis officii Judicis Sæcularis restrictas fuisse, si Galliam, juxta mox dicta, excipias.

23. Sæculo XIII. impeti cepit Jurisdic-tio Ecclesiastica in Causis Civiles Laicorum, atque successu temporis frustatum minui, usque dum penitus annihilaretur.

Gallia, vicinæque Provinciæ ad hæc iamutationem classicum cecinere. Nam prout refertur in probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ ex hist. Matthæi Paris. ad A. 1246. eodem anno plures Barones Franciæ inter se convenerunt, seduloque perculserunt, jurisdictionem sæcularem, quæ tota pene absorpta erat à Clericis, revindicandi, causamque quatuor aut duobus ex suis commiserunt, qui eam strenue prosequerentur. His & similibus Laicorum conatibus Romanus Pontifex, Clericisque Gallicanis equidem obstitit: & revera primi illi impetus in ventum abiierunt; S. enim Ludovicus, ut habet Viridarii, somnium sub Carolo V. conscriptum, nunquam eis adhefit; sed potius eos ab istis compescuit, & finaliter hæc libertatem Ecclesiæ confirmavit. Quin & Sæculo XIV. sub Ludovico Valesio in collatione illa famosissima ad tuitionem Immunitatis, & Jurisdic-tionis Ecclesiasticæ habita, strenue defensa est, ut N. præced. innumis Conatibus hæc præluserat An. 1301. Concilium Compendiense Can. 4. 5. Item Bituricensis 1316. aspirante contra Nobilium cuniculos Cleri Juribus Philippo Valesio. Et ante hoc Willelmus Darandus, Episcopus Mimatensis, optavit, ut ei malo medicinæ aliquid adferret Concilium Viennense An. 1311. celebratum, de modo celebrandi Concilii Generalis P. 2. tit. 70. ubi ita illacrymatur: *Et sicut strustatum lupus agnum comedit, ita per ipsos Jurisdic-tio Ecclesiastica strustatum quodammodo devoratur, quidquid ad Ecclesiasticam*

Bbb

titam

titam Jurisdictionem, potissime quoad temporalia, pertinet, sibi putantes. Et revera post A. 1336. ad quem usque Jura sua mordicus tutati sunt Episcopi, maxime vero internecinas illas clades ad Cresiacum, & in agro Pictaviensi sub Philippo Valesio, & Joanne filio ejus, uti toti Regno, ita & huic Episcoporum Jurisdictioni lethalia iniecta sunt vulnera. Nam Carolus V. qui thronum Francie conscendit An. 1364. causas reales Laicorum Jurisdictioni Ecclesie subtraxit, teste Schoppio Lib. 2. de Sacra Politia T. 1. N. 6. Dein Franciscus I. etiam quoad actiones personales, Laicos a Jurisdictione Ecclesiastica exemit, teste eodem L. c. Principes quoque Belgii Saeculo XV. Laicos in causis personalibus coram Judice Ecclesiastico noluissent conveniri P. 1. Edict. Flandriae Lib. 1. Rubr. 4. Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem Laicos pene quoad omnes causas a Jurisdictione Ecclesiastica eximunt. Similiter & Concordata inter Hanones, & Archiepiscopum Cameracensem, quae existant P. 1. Edict. Brab. lib. 1. tit. 1. c. 8. Et Ordinatione Regia A. 1512. in Gallia cautum est, nullum Laicum coram Judice Ecclesiastico vocari posse, nisi in citationis libello nominatim adscribatur causa, ex qua citatur, teste eodem Schoppio L. cit. Tit. 1. N. 4. Testatur etiam Freyretius de abusu lib. 4. c. 6. N. 1. axioma hoc moribus Galliae receptum esse, Laicum in Judicem Ecclesiasticum consentire non posse, sive ejus Jurisdictionem prorogare. Idem obtinet in Hispania, teste Emmanuele Gonzalez ad cap. 18. de foro competente, qui ibidem ait: *Sustinenda ergo est Lex politica, quam omnes Christiani habent.* Refertque variarum Nationum Auctores, qui de hac praxi, & abrogatione Legis Theodosianae a Carolo M. pro toto Occidente Christiano confirmata testantur. Et revera si jus commune spectemus, horum Imperatorum Leges jam saeculo XII. aut etiam XI. modificatae sunt, & Forum

Ecclesiasticum arctioribus cancellis circumscriptum, ut in fine N. praecedentis advertimus, ita ut Jurisdictioni Ecclesiasticae in Causas Civiles Laicorum in sola Gallia plenum vigorem fere obtineret; quae tamen posterioribus saeculis illic magis, quam aliis in Regnis labefactata est: ita, ut tempore Concilii Trid. ab Ecclesiasticis ad Laicalia Tribunalia appellandi usus ibidem viguerit: de quo vide Guimerum in Proemio Pragmaticae, hunc abusum per aliquod Concilii decretum modificari optantem.

§. III.

De Causis, & delictis Clericorum.

24. **C**UM primis Ecclesiae saeculis Episcopi Causas Civiles Laicorum deciderent, potiori Jure Causae Civiles Clericorum ad ipsos deferbantur.

Id factum tempore Apostolorum probat N. 18. Id vero continuatum prioribus V. Saeculis argumento deducto a majori est minus adstruunt sequentes. Hinc Canon I. dist. 90. ex Concilio IV. Carth. desumptus, ordinat: *Discordantes Clericos Episcopus vel ratione, vel potestate ad concordiam trahat; inobedientes Synodus per audientiam damnet.*

25. Illis Saeculis non erat liberum Clericis ad Saeculare Judicium provocare, quemadmodum Laicis ad Episcopale.

Carthaginense Concilium III. Canonem 9. statuit: *Ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, seu Clericorum, cum in Ecclesia ei fuerit crimen intentatum, vel Civilis Causa fuerit commota, si relicto Ecclesiastico Judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiam si pro ipso prolata fuerit sententia; locum suum amittat; & hoc in criminali Judicio: in Civili vero perdat, quod evicit, si locum suum obtinere voluerit.* Hic tamen Canon intelligendus est de provocante ad Judicem Saecularem sine licentia Episcopi; nam Clericos cum licentia Episcopi

copia

copi in Causis Civilibus potuisse provocare Saeculo V. ex Canone Concilii Chalced. hoc Saeculo habiti, infra referendo, cum aliis mox dicendis constabit.

26. Hae disciplinae a Saeculo VI. usque ad praesens tempus vindicatae permansit.

Saeculo VI. extensa est a Justiniano Novella 76. cap. 1. & 2. ad Monachos, & Saetimoniales, qui etiam Novella 123. c. 10. sancit, omnes Causas Episcoporum, Clericorum, Monachorum a Metropolitanis, in Synodis Provincialibus quotannis celebrandis judicari. Legatur Nov. 132. cujus 21. caput inscribitur, *Ut Clerici apud proprium conveniantur Episcopum.* Hic tamen Imperator Privilegiorum suorum Praedecessorum in puncto Jurisdictionis Ecclesiasticae non modicus circumcisos eadem Nov. 123. cap. 8. Episcopos pro Causa pecuniaria vel criminali ad Judicem Civilem aut Militarem, *si sua accesserit justio*, pertrahi posse diffinit. Eodem Saeculo Clericorum immunitatem, quantum ad Causas eorum, strenue tuitus est S. Greg. M. pro Sardinia lib. 3. ep. 24. lib. 5. ep. 2. lib. 9. ep. 32. in quibus ad summum permittit, ut Clerici alium ab Episcopo suspecto Judicem *de Episcopi licentia* eligant, aut Episcopus Partes ad eligendos Arbitros compellat. Eandem immunitatem eodem Saeculo propugnauerunt Concilia Gallicana, prohibentia ne Clerici quemquam apud Saeculares Judices, *Episcopo non permittente*, pulsarent, & ne Laici *inconsulto Episcopo* Clericum ad Saeculare Tribunal vocarent. Ita Concilium Agathense C. 32. Epaonenfe C. 2. Parisiense V. C. 4. Aurelianense Can. 20. Antistiodorensis C. 43. Ex Concilio tamen Matifonenfi I. Can. 7. habemus, quod Clerici propter capitalia crimina ab immunitatis privilegio excidebant in tantum, ut nisi ab Episcopo praecuparetur iudicium a Judice Laico; in consortio tamen Episcopi iudicari poterint. Vide Can. 9. & 10. Concilii Matifonenfis II. & Constant. Clotarii II. in Synodo Parisiensi V.

editum. Hispana Concilia imitata esse Gallicana, praeter alia, constat ex Can. 13. Synodi III. Tolentanae. In Italia tamen sub Gothicis Regibus immunitate quidem in Causis personalibus, non tamen in reallibus hoc Saeculo gaudebant Clerici. Priorem ipsi sartam testam voluit vel ipse Theodoricus Rex Ariarius, & quidem etiam criminiales, dum Clericos criminis capitalis convictos ad Episcoporum iudicium remisit. Uti constat ex ipsius ep. ad Eustorgium Mediol. Episcopum apud Casiodorum lib. 1. Variarum c. 9. & ex ep. 18. lib. 4. ad Annam Comitem data, & ex ep. 24. lib. 4. Quantum ad posteriorem id constat ex ep. Theodorici ad Gaudilam Mediol. Episcopum apud Casiodorum lib. 2. Variarum 18. item ad Petrum Episc. lib. 4. Variarum 44. Eadem disciplina a Justiniano in Oriente, & a Romanis Pontificibus, Regibus Gothicis, Gallis, Hispanique sancta Saeculo VII. perseveravit. At Saeculo VIII. dum Graeca Ecclesia in Saetionibus, atque restrictionibus Justinianensis perseveraret, Carolus M. in Occidente per toto orbe Latino Episcoporum jurisdictionem generaliter, speciatim vero circa Causas Clericorum ampliavit: Causas Clericorum non tantum civiles reales & personales, sed etiam criminales a solis Episcopis jubens dijudicari, Capitulari Aquilgranensi cap. 28. in Concilio Francofordienfi Can. 6. & 39. Circa quod notandum, priorum Saeculorum disciplinam, quod nempe Clerici in Causis Civilibus cum *licentia Episcopi* possint in Foro Laicali experiri, id, quod hodie non admittitur, sub eo Principe Christianissimo fuisse confirmatam; in laudato enim Capitulari Aquilgranensi executioni mandatum Concilii Chalced. Canon 9. quo statutum est, *Ut si quis Clericus cum Clerico Causam habeat, Episcopum suum non deserat, & ad Judicia Saecularia currat: sed prius apud Episcopum suum examinet Causam, aut certe cum voluntate Episcopi Causa dicatur, apud quos utraque*

Bbb 2

Paris

Pars voluerit. Disciplina circa Causas Clericorum à Carolo M. sancita, inconcussa mansit Sæculo IX. & X. atque confirmata est in Capitularibus Regum Francorum lib. 1. cap. 27. cap. 38. lib. 5. cap. 378. & lib. 6. cap. 150. & 157. quibus tam Judicibus prohibetur ne Causas Clericorum quascumque didicere præsumant, *inconsultis Episcopis, & non permittentibus*: quam etiam Clericis, ne sine licentia sui Ordinarii coram Judice Seculari experiantur. Quo elucet, adhuc hæc Sæculis Clericos in Causis Civilibus cum Clericis dispensari solitos, ut coram Judice Laico experiri valeret, quod hodie non fit. Sed & aliud caput modernæ disciplinæ, quin axiomati contrarium, à Sæculo VI. usque ad X. observari juvat; quod nempe Clerici sine licentia Episcopi non poterint in Causa Civili coram Judice Laico convenire Laicum reum; id enim Sæculo VI. statutum in Conciliis Gallicanis supra advertimus, quorum sententia his Sæculis confirmata fuit Capitulari 157. ubi statuitur: *Nullus ex Ordine Clericorum, inconsulto proprio Episcopo, ad Judicium Seculare pergat; neque apud eum, suo Episcopo non permittente, quemquam pulsare* (id est, convenire) *aut cuiquam ante eum respondere, aut quidquam proponere presumat; neque criminale negotium in Judicio Seculari proponere audeat.* Hodie Clericus Actor sequitur Forum Laici Rei. Quin si lis temporalis Clericuna inter & Laicum moveretur, non attendebatur quia Actor, quis Reus; sed Episcopus cum Judicibus Secularibus ipsam dirimebant, ut docet Hincmarus in ep. ad Carolum Calvum, cujus solum fragmentum superest.

Funestis Sæculis XI. & XII. quibus Principes Laici per investituras libertatem Ecclesiæ opprimebant, etiam Causis Clericorum, quin & Episcoporum sese ingerere non verebantur. Decantatum est Sanctissimum Archiepiscopum Cantuariensem, & Martyrem Thomam ad mortem

usque pro Clericorum immunitate à Foro Seculari, & pro Episcopalis Jurisdictionis Legumque Canoniarum defensione certasse. Gravissimam diffensionem, quæ ipsam inter & Henricum II. Regem emerfit, ex Jurisdictionis Episcopalis usurpatione, & privilegiorum Cleri violatione, à Rege facta, originem sumpsisse, Guilielmus Neoburgensis lib. 2. de rebus Anglicis cap. 16. commemorat. In Sæcra quoque non minus, quam in Anglia, Secularis Potestas vulnus gravissimum Episcopali Jurisdictioni in Clericos inferebat, dum non tantum Clerici, sed ipsi Episcopi ad igniti ferri examen, vel ad aliquot æque prohibitum, & execrabile iudicium provocabantur, teste Alex. III. ep. 19. append. 1. ad Upsalensem Archiepiscopum. In Normannia quoque A. 1190. inter Ecclesiam Rothomagensis, & Willelmum Normanniæ Senelchalcom de Eccl. Jurisdictione contentio exorta est, & Walterus Rothomagensis Archiepiscopus eodem argumento cum Richardo I. Anglorum, & Philippo Augusto Francorum Regibus collisus est. At invicti Romanorum Pontifices Alexander II. Urbanus II. Eugenius III. Alexander III. Causas Clericorum tam Personales, quam Reales, tam Civiles, quam Criminales, Conciliis, Canonibus, Decretis, Tribunalibus Ecclesiasticis invicta constantia conferverunt: quæ cum pleraque inserta fuerint Decretalibus Gregorianis, ad earundem Commentatores, Provincia nostra jam jam perfuncti, Lectorem remittimus. Hic solum adhuc notamus, in hac Clericorum à Jurisdictione Laicorum exemptione semper eundem fuisse Ecclesiæ scopum, eundemque spiritum, ut nimirum à litibus, & tumultibus forensibus avocarentur, quæstionesque inter ipsos suscitata amicabiliter, interveniente Episcopo, aliove prudente ac sapiente Viro, ad mentem Apostoli componerentur, & terminarentur.

27. Delicta Ecclesiastica Clericorum, seu quæ proprie committebantur contra

Disci-

Disciplinam Ecclesiasticam, Ordinem, sive Statum Ecclesiasticum, quæque penis Canonice, puta, exauctoratione, vel Communicationis privatione, aut Ordinis Suspensionis puniebantur, à primis Ecclesiæ Sæculis ad Episcopos, vel Synodos judicanda, & punienda deferebantur; non tamen communia, seu ea, quæ contra Regimen Politicum à Clericis, non ut Ecclesiasticis, sed ut Reipublicæ Civibus commissa fuerunt.

Primum partem adstruunt primorum Conciliorum, quorum quidem notitiam habemus, gesta & Canones, quibus penæ Canonice delictis Ecclesiasticis Clericorum determinantur, ab Ordinariis Judicibus delinquentibus infligendæ. Et confirmari potest ex Sanctionibus Imperatorum pro 2. p. adferendis.

Pro secunda parte exstat Constitutio Gratiani, & Valentini Imp. A. 376. edita L. 23. Cod. Theodol. de Episc. & Clericis, in qua delicta Ecclesiastica ad Synodi audientiam referuntur, *exceptis, quæ actio criminalis ab Ordinariis, extraordinariisque Judicibus, aut Illustribus Potestatibus audientia* (legi debet audiendas) *constituit.* Hanc distinctionem innuunt etiam Imperatores Arcadius, & Honorius L. 1. Cod. Theodol. de Religione. Et lege 3. ejusdem Cod. de Episcopali Jud. quæ Imp. Valentini, Theodosio, & Arcadio inscribitur, decernitur nom. Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus servant, ne ad iudicia, sive Ordinariorum Judicium pertrahantur: *habent illi Judices suos, nec quisquam (vel potius quidquam) his publicis commune cum Legibus, quantum ad Causas tamen Ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali auctoritate decidi.* Et ita conciliari videtur Canon 9. Concilii Carth. IV. relatus N. 24. h. T.

28. Hæc disciplina perduravit usque ad Sæculum IX.

Credunt quidem nonnulli, eam delictorum distinctionem quoad immunitatem

Clericorum à Judicio Seculari sublatam per Honorii Imp. Constitutionem, A. 412. editam l. 41. Cod. Theodol. de Episc. & Clericis, quæ decernitur indefinite: *Clericos non nisi apud Episcopos accusari convenit*: verum non obstante hac indefinita expressione, credit Jacobus Gothofredus in notis ad hanc Legem, post Merlotum, Honorium non recessisse ab Antecessorum suorum Constitutionibus, tantumque de Ecclesiasticis delictis locutum esse: quod ex ipsius verbis Legis ostendere conatur Gothofredus. Sed quidquid sit, certum est, Justinianum Imperatorem eam rursus delictorum differentiam observasse in Nov. 83. ubi in præfatione §. 2. ait: *Si tamen (Clerici) de criminibus conveniantur, si quidem Civilibus, hic quidem competentes Judices, in Provinciis autem earum Præsides sive Judices, &c.* Denique cap. 1. subdit: *Si vero Ecclesiasticum sit delictum, — Deo amabilis Episcopus hoc discernat.*

29. Noluit tamen Justinianus, Clericum apud Judicem Laicum de crimine civili accusatum, & convictum condemnari, & puniri, nisi Episcopus Judicis sententiam probasset, aut ipsius Principis decisio in casum dissenfus Causam determinasset.

Id constat ex Nov. mox relata cap. 1. ubi subdit: *Illud palam est, si Reum putaverit eum, qui convenitur Provinciæ Præsides, & panis judicaverit dignum: prius hunc spoliari à Dei amabilis Episcopo Sacerdotali Dignitate, & ita sub Legum fieri manu.* Et Nov. 123. c. 21. *Si vero Episcopus putaverit Gesta non fuisse confecta, tunc licet ei deferre, & nudare honore seu gradu accusatam Personam, & ita ad nos negotium tam ab Episcopo, quam à Judice referatur, ut nos hoc cognoscetes, que nobis videtur, jubeamus.* Hæc Justiniani dispositio consonat Canonibus Sæculi VI. qui nolunt Clericis ullam injuriam inferri à Judicibus, inficio illorum Episcopo, uti loquitur Synodus Matisconensis II. A. 575.

Can.

Can. 10. & Parisiensis V. Can. 4. dicens: Ut nullus Judicium neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum ullum, aut Juniores Ecclesie sine scientia Pontificis per se distringat, aut damnare presumat.

30. Circa Sæculum IX. Causæ Criminales Clericorum sine criminum distinctione ad Judicem Ecclesiasticum etiam private fuerunt devolutæ, atque apud ipsum in præsens tempus perseverant.

Hanc propositionem tam Principum, quam Pontificum, ac Synodorum Sanctiones posteriores evincunt, quæ, nulla facta delictorum distinctione, Causas Criminales Clericorum Episcopis, sive Judicibus Ecclesiasticis deferunt. Ordinationes Caroli M. & ejus Successorum hac super re supra N. 26. vel retulimus, vel indicavimus: inter quas etiam notavimus cap. 38. lib. 1. Capit. Regum Francorum, quod ita sonat: *Ut Clerici Ecclesiastici Ordinibus, si culpam incurrerint, apud Ecclesiasticos judicentur, non apud Sæculares.* In Constitutionibus, quas A. 1067. Mediolanensibus observandas præscripserunt Legati Alexandri II. legimus: *Integram quoque habeat Episcopus in omnem suum Clerum canonicè judicandi ac distringendi potestatem.* Huc etiam faciunt, quæ de Henrico II. Angliæ Rege, & S. Thoma Cantuariensi eodem N. 26. h. T. cum aliis ibidem annotavimus. Hanc immunitatem ita generatim ad omnia crimina extensam etiam confirmavit Fredericus Imper. in Auth. Statuimus Cod. de Epis. qua statuit: *Ut nullus Ecclesiasticam Personam in Criminali questione vel Civili trahere ad Judicem Sæcularem presumat contra Constitutiones Imperiales, & Canonicas Sanctiones.* Hisque conformes sunt Decretales, quæ hodie Jus commune Canonicum constituunt, generalem immunitatem, sive Privilegium Fori Clericis de quocumque crimine reis vindicantes. Et quidem ex literis Innocentii III. ad Archiep. Pisanum relatis in C. 12. de Foro

competenti: *Tam Episcopi, quam Diaconi, seu quilibet Clerici in criminali negotio, si derelicto Ecclesiastico Judicio, publicis Judiciis se purgare voluerint, etiamsi pro eis lata sit sententia, locum suum amittant.* Recentioribus tamen Juribus, & Regnorum consuetudinibus casus introducti sunt, in quibus Clerici delinquentes non gaudent privilegio Fori, qui videri possunt apud Canonistas.

§. IV.

De Causis Episcoporum.

31. **Q**uamvis antiquitus eadem Causæ Cleri inferioris tum Civiles, tum Criminales Ecclesiasticæ à Synodis Provincialibus vel judicarentur, vel reviderentur ab Episcopis jam desitæ; proprie tamen Causæ Criminales Episcoporum à primis Sæculis horum Conciliorum judicio tanquam primæ instantiæ committebantur.

Autequam propositionem probem, Lectorem moneo, me impresentiarum à questione Juris, an nempe Metropolitanus cum Synodo Provinciali sit prima instantia in Causis Episcoporum, private ad Romanum Pontificem, vel non? cujus affirmativam Galli tenent, profus præcendere, illudque solum evincere velle, primis Ecclesiæ sæculis Episcopos à Metropolitanis cum Concilio Provinciali tanquam ordinaria prima instantia judicatos fuisse. Ex scopo autem convocationis horum Conciliorum una Lector intelliget, Causas quoque Clericorum, imo & Laicorum, extra hæc Concilia ad Episcopos pertinentes, in iis ventilari, & terminari solitas esse. Itaque Can. V. Concilii Nicæni sonat. *Requirantur autem ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio videantur à Congregatione seclusi. Ut hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit annis singulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter*

omni-

omnibus simul Episcopis Provincie congregatis discutiantur hujusmodi questiones. Qui Canon licet expresse, & nominatim de Episcopis non loquatur; nihilominus cum generatim questiones in Provincia orientes velit in Provincia examinari, ac determinari; videtur & ipsas questiones sive Causas contra Episcopos comprehendere, præsertim quia nominatim Concilio Provinciali Judicium tribuit, & examen Excommunicationum ab Episcopis latarum in Clericos: quod fieri non potest, nisi de Episcopo Judicium feratur. Ad hæc secunda Synodus Generalis Const. I. Canone 2. dicit: *Omniem Provincie administrationem Synodo Provinciali per Canonem Nicænum commissam.* Quis porro ambigat, quin intra illa, quæ per unamquamque Provinciam occurrunt, maximi momenti sit Episcoporum correctio, & depositio? Unde Lib. 1. Tit. 7. plures adduximus Canones primorum sæculorum, qui Judicium de Causis translationis Episcoporum, sicut & ipsas translationes Synodis Provincialibus committunt, ibidemque à N. 10. Capitulum 2. ejusdem Tituli explicavimus. Sed omnem scrupulum eximunt Patres Africani (quos inter erat S. Augustinus) in ep. ad Cælestinum Papam, ubi tanquam indubitatum asserunt, juxta Nicæna decreta Episcopos à suis Metropolitanis in Conciliis Provincialibus esse judicandos. Consonant Patres Antiocheni Can. 15. qui ex versione Dionysii Exigui sic habet: *Si quis Episcopus de certis criminibus accusatus condemnatur ab omnibus Episcopis ejusdem Provincie, eundemque consonanter eandem contra eum formam decreti protulerint; hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concordantiam Episcoporum Provincie manere sententiam.* Et hoc si concors fuerit sententia; sin vero, tunc Canone 14. Statuit, ut Metropolitanus Episcopus à vicina Provincia Judices alios convocet, qui controversiam tollant, ut per eos simul, & per Comprovinciales Episcopos

quod justum visum fuerit, approbetur. Eandem disciplinam luculentissime quoque exprimitur Canones Sardicenses 3. 4. 7. in quibus appellationem à Synodi sententia ad Romanum Pontificem statuunt, de qua infra. Porro hanc disciplinam usque ad Sæculum VIII. factam testamur manifeste, tum ex Canonibus, tum Imperatorum Edictis, atque Ecclesiæ præxi sit manifestum; eam enim confirmat Synodus Chalced. Sæc. V. Can. 9. *Si Clericus autem cum proprio Episcopo negotium, aut litem habeat, à Provincia Synodo judicetur.* Pro Sæculo VI. vide Novellam Justiniani 123. supra N. 26. relata. Eodemque Sæculo Pelagius II. scribit ad Joannem Const. *Episcopos Provincie esse Judices, ad quorum judicium omnes Causæ Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac Civitatum Causæ referantur, ut ab his omnibus iuste consona voce discernantur.*

32. Circa Sæculum VIII. & IX. hæc Synodorum auctoritas in decidendis Causis Episcoporum diminui cepit.

Ad Sæculi VIII. finem produsse Collectionem Canonum sub nomine Isidori, in qua, præter alia, exhibentur epistolæ Romanorum Pontificum à Clemente ad Siricium Papam, tradidimus Lib. 1. Tit. 2. N. 130. quas supposititias modernis Doctis fere omnibus esse retulimus N. 153. At Sæculo IX. integram illam Collectionem venerando, nomine Isidori Hispanensis latavimus, hæque Epistolæ sub gloriosis nominibus primorum Pontificum, & Martyrum exhibitæ, Sedisque Apostolicæ auctoritati, atque Episcoporum à Judicibus Metropolitanorum infirmitati faventes ambabus ulnis fuisse exceptas, atque à Romanis Pontificibus, & Episcopis Suffraganeis propagatas, scripsimus ibi N. 148. Cum ergo ibi referretur epistola sub nomine Julii I. qui sedit Sæculo IV. in cujus cap. 2. habetur: *Non oportet præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari;* iteq.

item cap. 4. Si ab hodierna die Episcopum, præter hujus S. Sedis sententiam, damnare, ac propria pelli Sede præsumpserit, sciat se irrecuperabiliter esse damnatum, & proprio carere honore. In epist. quoque Eleutherii, qui vixit Sæculo II. De accusationibus ergo Clericorum, super quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ad Sedem Apostolicam deferre, finitiva Episcoporum tantum Judicia deferantur, ut hujus S. Sedis auctoritate finiatur: hæque epistolæ indubitæ fidei tum habentur; una invaluit opinio, Episcopum sine auctoritate Sedis Apostolicæ damnari non posse. Unde cum An. 835. ad Gregorium VI. appellasset Aldricus Cenomanensis Episcopum ante sententiam Episcoporum, præcipit quidem Gregorius, ut Causa ejus audiatür à Primæ Dioeceseos, sed Judicium peragi prohibet; quod sibi reservat, vel Legatis suis in Provinciam mittendis. Fragmentum hujus ep. existat apud Gratianum 2. q. 6. c. 11. Eadem fuit subsequeñtium Pontificum sententia, quam & suis Epistolis sapius expresserunt, & ut observaretur, præceperunt. Quare in dictatu Gregorii VII. de quo mentionem fecimus Lib. 1. Tit. 6. N. 87. pro regula 3. stabilitur: *Quod ille solus* (qua Papa) *possit deponere Episcopos, vel reconciliare.* Cümque fragmenta harum epistolarum in variis Collectionibus Canonum, quæ sæculo XI. & XII. prodierunt, & quas nos Lib. 1. Tit. 2. retulimus, præsertim in illa Gratiani, quæ omnium non tantum Canonitarum, sed etiam Theologorum manibus terebatur, referrentur, nominatim fragmentum ep. Julii I. causa 3. q. 6. c. 9. & Can. 7. fragmentum ep. Eleutherii cum hoc summano: *Comprovinciales, & Metropolitanis Episcoporum Causam audire, sed non definire possunt: sententiæ hæc pro indubitato suscipiebantur, & pro Foro admittebantur.* Cum vero idem Gratianus in suum Decretum retulisset quoque Canones Nicænos, Antio-

chenos, Sardicenses, & similes, qui Causas Episcoporum ad Judicem Synodorum referunt; necesse fuit, aliquam reperiri rationem hos Canones conciliandi: unde tandem adhibita fuit distinctio inter Causas majores, & minores. Majores dixerunt, quæ depositionem ab Episcopatu mererentur; minores vero, quæ correctionem, sed minorem requirerent. Illas Sedi Apostolicæ reservatas esse dicebant, juxta decreta in Decretalibus Pontificum relata; has vero conformiter ad Sacros Canones in Synodis Provincialibus, & à Metropolitanis esse terminandas. Hæc Espenius Juris Eccl. P. 2. Tit. 3. c. 4. N. 26.

Quod me attinet, persuasus sum I. Epistolas Romanorum Pontificum à Clemente usque ad Siricium Papam esse supposititias, & Sæculi VIII. sine ab Isidoro Mercatore compilatas. Id quod speciali dissertatione contra recentissimas Eximii P. Liberii à Jesu, celebris Scriptoris, replicas evincere conatus sum Lib. 1. Tit. 2. c. 4. §. 5. Persuasus sum II. Episcoporum Causas non tantum minores, sed etiam majores antiquioribus Ecclesiæ Sæculis à Synodis Provincialibus de facto in prima instantia non tantum auditas, sed etiam finitas fuisse, non expectata Romani Pontificis sententia: id quod sole meridiano apertius evincunt Canones tum Lib. 1. Tit. VII. tum in præsentiarum allati, atque à Gallis etiam, quantum ad questionem Juris, amplexi. Quin ex Canonibus Concilii Generalis Sardicensis infra referendis manifestum fiet, primam Judiciorum Episcoporum instantiam tum fuisse Concilia; appellacionis vero Romanam Sedem. Persuasus sum III. Sedem Apostolicam hanc Causarum majorum reservationem præsidio harum epistolarum non usurpasse, elto Romani Pontifices mediis illis Sæculis eas penunas exultimaverint; Innocentius enim cap. 2. de transl. Epil. eas non tam Constitutione canonica, quam divina soli Romano Pontifici reservatas asserit, & vere; non quidem immediate, sed in quantum hæ

hæ reservationes appendix quadam sunt & corollarium Divini Primatus, Romanis Pontificibus à Christo in persona B. Petri collati. De quo vide & lege Lib. 1. Tit. VII. N. 10. & seqq.

33. Hanc Causarum majorum, & minorum distinctionem pridem receptam Sæculo XVI. confirmavit Concilium Tridentinum.

Sic enim habet Sess. 24. cap. 5. de Reform. *Causæ Criminales graviore contra Episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum Summo Romano Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quod si ejusmodi sit Causa, quæ necessario extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis, à Beatissimo Papa eligendis. Hæc vero commissio specialis sit, & manu ipsius SS. Pontificis signata; nec unquam plus his tribuat, quam ut solum facti instructionem sumant, processumque consiciant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reservata eidem Sanctissimo sententia definitiva.* Post hæc de minoribus Episcoporum Causis subiungit: *Minores vero Criminales Causæ Episcoporum in Concilio tantum Provinciali cognoscantur, & terminentur à deputandis per Concilium Provinciale.* Subdit Espenius l. c. Ex his satis intelligitur, quomodo Ecclesia fuerit sollicita, ne temere Episcopi accusarentur, aut damnarentur, neque inferioribus subderentur; dum non nisi Causas Criminales ipsorum coram multorum Episcoporum Cætu examinari, & discuti voluit. Verum & ex his etiam intelligere possunt Episcopi, quod juxta mentem Ecclesiæ debeant se in omnibus irreprehensibiles exhibere, ne quis contra ipsos justam querelam habeat: neque hanc ab inferioribus Judicibus immunitatem in licentiam dominantium, aut liberius peccandi assumere. Sane dum hodie vix Sæculo uno Synodus Provincialis habetur; patet, quo-

Tom. I.

modo ab omni pene Judice Episcopi in hujusmodi Causis sint exempti.

34. Modus ille definiendi negotia Ecclesiastica tum Laicorum, tum Clericorum, tum Episcoporum per Concilia Dioecæana ac Provincialia, est in initio Ecclesiæ esset fere Ordinarius, atque per Canones omnium sæculorum usque ad Tridentinum Synodus inclusive inculcatus; tamen in Ecclesia manuteneri, etiam ante Concilium Tridentinum, non potuit, & post Tridentinum sensim prorsus fere exolevit, vicem horum Conciliorum, quantum ad Causas Romano Pontifici non reservatas, suppletibus Episcoporum Consistoriis.

Quantum ad propositionem multimembrem certum est, pristinis Ecclesiæ Sæculis frequentissimos fuisse Episcoporum cum suo respective Clero, quasi cum suo Senatu, quem Presbyterium vocare solebant, Conventus, quos hodie Synodus Dioecæana dicimus, ut Sæculo III. constat ex S. Cypriani aliorumque Patrum epistolis. Labeutibus vero Sæculis hæ Synodi Dioecæanæ ad normam Synodorum Provincialium his in anno celebrari cœperunt (N. 31. h. T.). Deinde cum paulatim invaluisset, ut Synodi Provinciales semel dumtaxat haberi deberent, id quod Sæculo VI. præscripsit Justinianus Nov. 123. cap. 10. una quoque invaluit, ut Synodi Dioecæanæ semel annuatim haberentur: quam consuetudinem Sæculo XII. supponit, & tacite approbat Synodus Lateranensis sub Innocentio III. in cap. 25. de Accusat. Post hoc videmus Concilii Lateranensis Decretum in plerisque Conciliis innovatum fuisse, approbata nihilominus consuetudine, ubi bis celebrari consuevit, uti supponit, & probat Synodus Basileensis Sess. 15. & reificat quantum ad binam celebrationem Synodus Colonienfis A. 1549. Quæ omnia probant frequentes horum Conciliorum interruptiones frequentibus his stimulis ansam dedisse. Synodus Tridentina tametsi frequentiore Synodo-

Ccc

rum

rum celebrationem pro reformatione morum desideraret; nihilominus amplexa moderationem Concilii Lateranensis, *annuam* solummodo innoxia Sess. 24. c. 2. de Reform. Quantum ad Synodos Provinciales, illæ olim ex decreto Concilii Nicæni c. 5. bis in anno celebrari debebant: qui Canon renovatus fuit à Concilio Antiochæno Can. 20. item Sæculo VI. à Concilio Chalced. Can. 19. aliisque, quos refert Gratianus dist. 18. At, habente tempore, eum difficile videretur toties Episcopos convenire, paulatim ad annum celebratio Synodorum Provincialium protrahi cepit. Id ob intermissa hæc Concilia Sæculo VI. *saltem* observari voluit Iulianianus Nov. cit. & Nov. 137. cap. 4. itemque Synodus Quini-Sexta, & pro Ecclesia Latina Concilium Tolet. III. Can. 18. S. Gregorius lib. 7. ep. 3. &c. Hæc interim moderatio, ob solam necessitatem admissa, adeo tandem invaluit, ut Innocentius III. in cap. Sicut olim de Accusat. eam tamquam à SS. Patribus promanantem observari voluerit. Verum nec hoc Decretum potuit vel annuam Synodorum Provincialium congregationem efficaciter persuadere, ita ut Gregorius X. ep. ad Archiepiscopum Narbonensem A. 1275. data summam in celebrandis hisce Conciliis defectum illo Sæculo testetur. Qui defectus effecit, ut Sæculo XV. per Concilium Basileense ad triennium protracta fuerit celebratio Concilii Provincialis: quam moderationem Concilia quædam particularia, nec non Leo X. in Synodo sua Lateranensi ad miserunt Sæculo XVI. Ipsa tandem Synodus Tridentina, hæc moderationem admittens, statuit, ut *Metropolitani per se ipsos, seu, illis legitime impeditis, Coepiscopus antiquior intra annum ad minus à fine præsentis Concilii, & deinde, quolibet saltem triennio, post octavam Pasche Resurrectionis D. N. J. C. seu alio commodiore tempore pro more Provincia non prætermittat Synodum in Provincia sua cogere.* Sess. 24. cap. 2. de Reform.

Hanc vero Tridentini Concilii, salva præstanz Ecclesiæ disciplina, moderationem in desuetudinem omnino abiisse res ipsa loquitur. Idemque dicendum de Conciliis Diocesænis. Quorum vicem in pertractandis Diocesæno negotiis Ecclesiasticis supplere student Consistoria tum Archi-Episcopalia per Sessiones suas; in exhortando vero, & animando inferiori Clero ad muneri pastoralis executionem (id quod ex Ecclesiæ ininterrupta mente, & S. Caroli Borromei felici experientia commodissime, & efficacissime fit per similia Concilia) per suas Literas Pastorales, seu vernales, quas Archiepiscopalis Curia Pragensis de avito, & laudabili more annis lingulis sub gloriosissimis Resurrectionis Dominici, ac Redemptoris nostri Solemnis ad omnes curam animarum in alma Archi-Dioecesi exercentes in hanc usque diem mittit.

§. V.

De causis, quæ hodie in Romana Curia tractantur.

35. **C**AUSÆ, quæ hodie Romæ ex totius Orbis Christiani partibus referuntur, per varia Tribunalia ibidem erecta complantur.

Hæc Tribunalia, seu instantiæ constant ex Consistorio Papæ, & variis Congregationibus, post Tridentinam Synodum passim erectis, quarum quindecim solus Sixtus V. ad Sæculi XV. calcem instituit; è quibus tamen postliminio quædam cassatæ, aliisque adunatæ fuere. De Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum egimus Libro 1. Tit. 2. cap. 7. §. 1. de Rota Romana ibi §. 2. Hic agendum superest de Consistorio Papæ; de Congregatione S. Officii, seu Inquisitionis; de Congregatione S. Indicis; de Congregatione super negotiis Episcoporum, & Regularium; de Congregatione super Immunitate Ecclesiastica, item su-

per

per examine Episcoporum; de Congregatione Rituum, de Dataria, de Penitentiarum, & de Cancellaria Romana.

36. Negotia majoris momenti, gratiosam, vel politicam formam habentia, hodie in Consistorio Papæ tractantur.

Consistorium Veteres dixere locum, in quo Princeps de rebus Publicis consultat, & deliberat. Ex notis autem nostris historicis hucusque datis constat, Clerum Romanam à Summis Pontificibus à primis Ecclesiæ Sæculi in negotiis Ecclesiasticis in sacratius consilium adhibitum fuisse (N. 1. Tit. 33. Libri 1.); hæcque spartam subinde solis Cardinalibus cessisse (N. 12. ibi): unde postmodum invaluit, ut eorum Consensus coram Pontifice in ejus Palatio per modum Senatus dictus sit *Consistorium*, atque in ea appellatione hodie sumitur, dum de Consistorio Papæ, atque de Beneficiis ac negotiis consistorialibus sermo incidit. Duplex autem hodie est Consistorium. Aliud ordinarium, magisque solemne, cui, præter Cardinales, intersunt alii quoque Prælati, Ministri ac Principum Oratores, & Magistratus, qui Papæ præsidenti assunt, quod & *Publicum* dicitur. Aliud ordinarium, sitque forma minus solemni cum solo intervenitu Cardinalium pro negotiis tractandis, soletque *Secretum* dici. Tempore Innocentii III. ter in hebdomada Solemne Consistorium, quod in consuetudinem jam devenerat, celebrabatur, ut habent ejus Acta ex edit. Bosqueti pag. 28. hodie vero Consistorium Secretum ordinariè habetur bis in mense, & quidem feria 2. nisi Papa aliam diem assignaverit. Sub eodem Innocentio Causæ minores in forma contentiosa inibi quoque decidebantur, testibus isdem Actis hujus Pontificis: hodie negotia, quæ in Consistorio explicantur, forenses, & contentiosam formam amplius non habent, sed ad horum compositionem erecta fuit particularis Congregatio, negotiorum Consistorialium (quæ solum gratiosam, vel politicam formam, ut dicitur Principis

Supremum Senatuum, habent) præparatrix, seu Consistorii consultiæ, quæ proinde *Consistorialis* appellatur, constituta ex aliquo competenti numero Cardinalium, ac etiam peritorum Prælatorum cum proprio Secretario, in qua prius examinantur materiz in Consistorio proponendæ, Partibus auditis in forma mere contentiosa; ita ut hæc Congregatio Consistorialis sit ipsius Consistorii pars, & quasi Assessor; adeo ut non nisi de ejus voto negotia, quæ controversiam pati possunt, expediantur. Inter negotia Consistorialia hodierna primum est novorum Cardinalium creatio, alterum provisorie Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium vacantium; item Monasteriorum quorundam Regularium, quæ proin communiter *Monasteria Consistorialia* appellantur. Coadjutoriz cum futura successione tam Cathedralium, quam Monasteriorum Consistorialium, similiter consistorialiter expediuntur. Et hæc sunt negotia primaria Consistorii *Secreti*, de quibus consule Cardinalem de Luca in relatione Curie Romanæ discursu 5. In publico Consistorio Papa solemniter recipit Legatos Christianorum Principum, & pileum noviter creatis Cardinalibus, tempore suæ promotionis absentibus, impertitur, ut habet Relatio Curie Romanæ à Francisco Sessini conscripta; quod proinde Consistorium statim diem non habet.

37. Causæ hæreticæ privativæ concernentes in Congregatione S. Officii, seu Inquisitionis judicantur.

Quantum ad Congregationem S. Officii sive Inquisitionis, circa ipsam Inquisitionem plura dicenda occurrent Libro V. Tit. 6. de *Hæreticis*. Quæ huc pertinent, breviter jam expedienda. Paulus III. An. 1542. primus 6. Cardinales constituit & deputavit suos, & Apostolicæ Sedis in omnibus, & singulari Republicæ Christianæ Civitatis, Oppidis, terris, & locis, tam citra, quam ultra montes ubilibet, etiam in Italia consistentibus, ac in Romana

Ccc 2

Cu-

Curia super negotiis Fidei Commissarios, & Inquisitores Generales, & Generalissimos. Conlit. quæ incipit: *Licet ab initio 36. in Bullario. Pauli III. veltigia premens Pius IV. octo Cardinales ad idem negotium deputavit, addens & declarans: Ut quidquid per majorem partem S. R. E. Cardinalium, qui in Congregatione pro dicto officio convenierint, dictum, gestum, statutum, decretum, terminatum, seu sententiatum exlilerit, sit validum, & firmum; ita & taliter, quod nullo modo impugnari possit, perinde ac si omnes, & singuli Cardinales prædicti in dicta Congregatione convenissent, & major pars consensisset:* Conlit. quæ incipit, *Cum nos 79. in B. R. Declarationem Pii IV. confirmavit, & renovavit ejus Successor Pius V. Conlit. quæ incipit, Cum Felicit 23. in B. R. Denique Sixtus V. per Constitutionem, quæ incipit, Immenſa æterna Dei 22. in B. R. hujus Congregationis officium, & auctoritatem inluper extendit ad magiam, fortilegia, divinationes, Sacramentorum abusus, & quæcumque alia, quæ etiam præſumptam hæreſim ſapere videntur, concernentia; & quidem in bique terrarum, ſuper omnes Patriarchas, Primateſ, Archiepiſcopos, & alios inferiores Inquiſitores, quocumque privilegio illi ſuffulti ſint. Præter Cardinales, qui hanc Congregationem proprie conſtituunt, ac propterea dicitur Congregatio Cardinalium S. Officii, ad illam quoque pertinent alii Ordinarii, & inferiores Officiales, qui hoc Inquiſitionis Tribunal regunt, & adminiſtrant in actuali Jurisdictionis exercitio, ac proceſſuum formatione, Reorumque examine. Horum unus, qui Judicis Ordinarii partes ſubit, dicitur *Commiſſarius S. Officii*, de Ordine S. Dominici ex Lombardia. Hic in Conſiliarium ſive Aſſeſſorem habet Prælatum, vel Clericum Sæcularem, qui vocatur *Aſſeſſor S. Officii*. Alii item ſunt Miniſtri, v. g. Fideiſ, & Notarius. Deinde ad hanc Congregationem quoque ſpec-*

tant Theologi, & Canonum periti, qui *Conſultores S. Officii* vocantur, ex quibus duo ſunt ſtabiles ex Ordine Prædicatorum, nimirum Magiſter Generalis, & Sacri Palatii; unus ex Ordine Minorum, reliqui ex diverſis Ordinibus ad beneplacitum Papæ aſſumibiles. Hi Conſultores cum Patre Commiſſario, Aſſeſſore, Fideiſ, & Notario S. Officii conveniunt ſingulis feriis 2. in Palatio S. Officii prope Baſilicam Vaticanam. In hac Congregatione (quæ *Conſulta* dicitur) leguntur Proceſſus Crimi- nales, ac etiam Episcoporum, atque loca- lium Inquiſitorum literæ, aut relationes, & aliæque gravioreſ momenti negotia, quæ Cardinales Conſultoribus committunt; idque pro majori inſtructione Conſultoris, ait de Luca, qui ea relaturus eſt in alia Congregatione, ad quam conveniunt Cardinales. Hæc Cardinalium Congregatio habetur ſingulis Feriis IV. in Conventu Patrum Prædicatorum prope Eccleſiam B. M. ſuper Minervam. Congregatiſ Cardinalibus primum habetur Congregatio *Secreta*, in qua ſoli Cardinales cum Commiſſario & Aſſeſſore interveniunt, & deliberatur de negotiis, quæ Conſultoribus commiſſa non fuerunt, majulque ſecretum requirere videntur. Poſtquam vero ſuper hiſ ſufficiens diſcuſſio facta eſt, advocantur Conſultores, eorumque conſilium, ſeu votum expetit. Feria 5. habetur alia Congregatio eorundem Cardinalium, idque coram Sanctiſſimo in Palatio Apoſtolico: hæcque videtur proprie eſſe Congregatio Inquiſitionis, ſeu S. Officii, de qua in cit. Conlit. Sixtus V. Cui, inquit, *ob ſummam rei gravitatem Romanus Pontifex præſidere ſolet.* In hac Congregatione præcipue tractatur caſus ſeu negotium, quod ex omnibus illa hebdomada relatis præcipuum videtur, quodque, præ cæteris, coram Sua Sanctitate diſcuti meretur. Poſtquam caſus propoſitus coram Pontifice mature diſcuſſus fuit, atque Theologi, ſi negotium ipſorum examini commiſſum fuerit, relatio-

neia

nem ſuam abſolverunt, omnes dimittuntur, exceptis ſolis Cardinalibus. Hi coram ſolo Pontifice vota ſua deponunt, atque ex eorum ſuffragiis ipſe concludere ſolet. Quo factò, & ſigno dato, ruruſ intrat Aſſeſſor S. Officii cum Patre Commiſſario, quibus reſolutionem Congregationis ſignificat Sua Sanctitas. Qui plura deſiderat, adeat Cardinalem Lucanum Tractatorem. & Eſpenium P. 1. Tit. 22. c. 3.

38. Cenfura Librorum hæreſi, aut aliis pernicioſis in fide, vel bonis moribus erroribus infectorum, ad Congregationem Indicis pertinet.

Cura, & vigilantia, ne Populus ex librorum lectione, hæreſi, aut aliis pernicioſis in fide, aut moribus erroribus inficiatur, una pertinebat ad Congregationem Inquiſitionis, ſeu S. Officii, quæ proinde invigilare cepit prohibitioni, & correptioni hujusmodi librorum. Cum autem hac Congregatione in gravioreſ actualibus negotiis fidei magis occupata (ut loquitur de Luca Tract. cit. diſc. 19.) iſta materia reviſionis, & prohibitionis librorum forſan non adeo diligenter, & accurate ageretur; Sixtus V. hanc Congregationem Indicis, tanquam dictæ Congregationis S. Officii Vicariam, & adjutricem erexit, eadem primæva poteſtate penes ipſam Matrem remanente, ut probat Eſpenius L. c. N. 34. Congregatio autem hæc conſtituitur ex competenti numero Cardinalium pro beneplacito Papæ. Habet præterea Secretarium ex Ordine S. Dominici, qui una cum Cardinali Præfecto decreta Congregationis ſignat. Præterea habet perpetuum, ac fixum Conſultorem, Magiſtrum S. Palatii, ſimiliter ex Ordine S. Dominici, qui primitus apparet aſſumptus, ut quali Theologus in rebus fidei in privatis occurrentiſ (ait Cardinalis de Luca Tr. cit. diſc. 8.) Papam informaret, & antequam ſub Paulo III. erigeretur Congregatio Inquiſitionis, ac Indicis, ipſi penes ſoli librorum reſiſto, expurgatio, ac impreſſio concedita fuit. Ad hanc in-

ſuper Congregationem pertinet magnum numerus Theologiæ, aliarumque Literarum Profeſſorum, qui, inquit de Luca, frequentius omnes, vel pro majori parte, ſunt Religioſi diverſarum Religionum, ſub nomine *Conſultorum*. Partes horum ſunt, revidendi, vel examinandi libros, qui tanquam ſuſpecti denuntiantur, juxta diſtributionem, quæ per Secretarium eiſ fieri ſolet; cum obligatione referendi, & examinandi in plena Congregatione, quæ diem certum non habet: ubi tum determinatur, an liber prohiberi, aut expurgari, vel ſuſpendi debeat, vel abſolute permiſſi poſſit; ſolentque ut plurimum Cardinales ſe Judicio Conſultorum, qui librum reviderunt, & examinaunt, conformare. Soli tamen Cardinales votum deciſivum obtinent ex Commiſſione Sixti V. in Bulla erectionis hujus Congregationis.

39. Negotia Episcoporum, & Regularium, quæ non concernunt fidem, ſed ad Chriſtianæ Reipublicæ regimen ſpirituale pertinent, in Congregatione ſuper negotiis Episcoporum, & Regularium expediuntur.

Cum ex Juris communis diſpoſitione Religioſorum Cauſæ, non per Juris apices, neque cum tela judiciaria, ſed ſummarie, ac poſius in forma extrajudiciali tractari debeant; Sixtus V. inter plures erectas à ſe Congregationes, quoque erexit Congregationem ſuper negotiis Regularium, eam conjungendo cum altera ſuper negotiis Episcoporum, *ita ut* (teſte de Luca cit. diſc. N. 15.) *enam eandemque conſtituant;* & merito, ob huiusmodi negotiorum frequentem connexionem. Hæc more Principis abſque ſceptu, & abſque Proceſſu, vel tela judiciaria, ſummarie, ſola facti veritate inſpecta, & quandoque imò frequentius, etiam per ſolas extrajudiciales, ac ſecretas informationes, controverſias terminat, prædientiales regulas ſæpius adhibendo poſius, quam rigores legales. Unica ergo eſt hodie congregatio ſuper negotiis Episcoporum,

399
 An, & Regularium; cum tamen in ipsa Sixti V. Constitutione duplex sit: una, quæ dicitur *pro Consultationibus Regularium*; altera vero *pro Consultationibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum*. Quæ cum (teste de Luca disc. 16.) tractet negotia Curialia Fori Ecclesiastici, quæ non concernunt fidem, sed ad Christianæ Reipublicæ regimen spirituale pertinent, videtur omnium major; ideoque majorem habere solet numerum Cardinalium, ob majorem negotiorum multipliciter. Quia & eodem Cardinale teste, hæc Congregatio dicitur *Occupatissima*, atque in negotiorum multitudine omnium major. Congregatio vero *Cardinalitia* vocatur, quia nullos, præter Cardinales, alios inferiores Prælatos habet, nisi unum, qui Secretarii officium exercet, à quo literæ & decreta Congregationis scribuntur, & signantur cum subscriptione unius de Cardinalibus, qui Cardinalis Præfectus appellatur. Hæc Congregatio haberi consuevit feria sexta cujuslibet hebdomadæ in Palatio Apostolico. Causas Regularium non solum publicas, sive super regimine Religionis in universum, sive inter unam Religionem & alteram; sed etiam privata inter Religiosos super electionibus, officiis, & Prælaturis, aut super præcedentiis, aliisque eminentiis, cæterisque occurrentis generaliter, inquit de Luca, S. hæc Congregatio cognoscit, & determinat summarie, & de plano, sola facti veritate inspecta; quandoque cum extrajudicialibus probationibus, vel sufficientibus probationibus per scripturam, nullo tamen adhibito formali processu, cum Notario, & cum tela judiciaria.

40. Difficultates circa immunitatem Ecclesiasticam occurrentes, in Congregatione de immunitate Ecclesiastica enodantur.

Auctorem habuit hæc Congregatio Urbanum VIII. ut scribit Seltinius in relatione Curie Romanæ; nam ante hunc Pontificem hujusmodi negotia in supra

descripta Congregatione super negotia Episcoporum, & Regularium tractabantur. Componitur ex incerto numero Cardinalium ad beneplacitum Papæ, Secretarii, qui est Prælati, imo Auditore Rotæ, uno Clerico de Camera, & variis aliis Prælati utriusque Signaturæ. Hæc ipsa Congregatio cognoscit, & invigilat super observantia immunitatis Ecclesiasticæ, nec non super transgressione, & violatione ejusdem per Magistratus, & Personas Sæculares, & subinde per ipsos Episcopos. Habetur hæc Congregatio die Mercurii semel in Mense apud seniores Cardinales. Habet Cardinalem Præfectum, qui ejusdem sigillum asservat. Convenit quoque quot septimanis, propter alia negotia politica, immunitatem similiter concernentia.

41. Periculum requiritæ ad Episcopatum literaturæ Italicæ Episcopi facere tenentur coram Congregatione super examen Episcoporum.

Hæc Congregatio à Gregorio XIV. ad mentem Tridentini, mores Christianos, literaturamque sufficientem in Episcopo promovendo requiritis, instituta est. Constat ex multis Cardinalibus, Prælati, Theologisque Sæcularibus, & Regularibus variorum Ordinum; itemque quibusdam Doctoribus Canonum. Habetur diebus Martis, & Veneris coram Pontifice, qui huic examini interest. Omnesque Episcopi Italicæ obligantur ante consecrationem se huic examini subjicere: quod genuflexi ad pedes Sanctissimi sedentis præstant, respondendo ad questiones Theologicas, & Canonisticas.

42. Curam propagandi Fidem Catholicam in partibus Infidelium gerit Congregatio de propaganda Fide.

Eræcta fuit hæc Congregatio à Gregorio XV. eo fine, ut omnem possibilem conatum impendat, quatenus Fides Catholica in Oriente præsertim per Alumnos 40. circiter ex variis Nationibus, majori tamen ex parte Orientales stabilitos, &

& educatos in proprio nobili Collegio pro ipsidem ab Urbano VIII. in Foro Hispanico erecto, propagetur. Quos Alumnos primitus fundavit Joannes Baptista Vives, & successive Cardinalis Antonius Capucinus, frater dicti Urbani VIII. alique, quorum nomina specificantur in descriptione Romæ modernæ de Rolsi. Hæc Congregatio celebratur semel aut sæpius in Mense, juxta negotiorum exigentiam, in Conclavi dicti Collegii die Lunæ mane. Illique intersunt Cardinales pro eadem deputati, Protonotarius Apostolicus, Secretarius Status sive Sanctitatis, Referendarius utriusque Signaturæ, Assessor S. Officii, & Secretarius proprius Congregationis. Ipsi Cardinales plenam habent dicti Collegii administrationem, ex quibus unus est Præfectus, cum Secretario Prælati. Hicque mittunt suos Alumnos post absolutum Studiorum cursum cum Titulo Missionariorum, aut Commisariariorum Apostolicorum in Regiones ab Hæreticis, vel Paganis occupatas, cum assignatione Viatici. In eodem Collegio conservatur commoda Typographia, provisâ omnigenis characteribus orientalibus, ad effectum libros Ecclesiasticos, ad eandem missionem spectantes, imprimendi.

43. Sacrarum Cæremoniarum per totum orbem Christianum œconomia vigilantis Congregationis Rituum commissa est.

Sacram Congregationem Rituum primum quoque instituit Sixtus V. in Constitutione 74. in Bullario Romano, eique 5. Cardinales præfecit. Quibus, ait, hæc præcipue cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri ubique locorum, in omnibus Urbis, Orbisque Ecclesiis, etiam in Capella nostra Pontificia, in Missis, Divinis officiis, Sacramentorum administratione, cæterisque ad Divinum Cultum pertinentibus, à quibusvis Personis diligenter observentur: cæremonie si exoleverint, restituantur; si depravata fuerint, reformentur; libros de sacris

391
 ritibus, & cæremoniis, imprimis Pontificale, Rituale, Cæremoniale, prout opus fuerit, reforment, & emendent; Officia Divina de SS. Patronis examinent, & nobis prius consultis, concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum Canonizationem, Fæstorumque dierum celebritatem: omnia rite & recte & ex Patrum traditione fiant. Quinque ergo Cardinales hanc Congregationem ex primæva sui institutione constituebant; at hodie, præter Cardinales, quorum numerus dependet à beneplacito Papæ, interveniunt huic Congregationi plures Prælati, quorum unus est Secretarius, inquit de Luca disc. 18. ac etiam aliqui Religiosi Theologicæ Professores, ex cæteris Magister S. Palatii, & Sacrista Papæ: ac etiam unus vel plures Magistri cæremoniarum Papæ. Præter questiones, quæ ritus, cæremonialque concernunt, quæque primario ad hanc Congregationem spectant, plures aliæ etiam questiones ad ipsam referri solent, ut v. g. præcedentiarum, aliarumque præzementiarum in Processionibus, aliisque publicis functionibus, aut etiam super jure funerandi, vel celebrandi Officium Funebre, aliisque, quæ Divinum Officium turbare possent; quæque eo pertinent, ut rite ac recto ordine omnia in Ecclesia peragantur. Hæ tamen questiones, præsertim si inter Regulares incident, non raro ad Congregationem super negotiis Episcoporum, & Regularium mittuntur, atque ab ea deciduntur; adeo ut *privativa* singularis cognitio hujus Congregationis (teste de Luca disc. 18. N. 24.) versetur in præscribendis ritibus in Divinis officiis, ac etiam super Canonizatione Sanctorum. Quantum ad ultimum tamen, inspecta hodierna praxi Curie Romanæ, Congregatio super Canonizatione Sanctorum, vel eorum Beatificatione nonnulli ab hac diversa est; eamque Cardinalis de Luca *extraordinariam* vocat; eo quod in ea, ultra Cardinales, & Prælatos ad Congregationem